DE

METHODO MOTHIANA HUMERUM LUXATUM REPONENDI

DISSERTATIO

INAUGURALIS CHIRURGICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN UNIVERSITATE L[illegible]RARIA BEROLINENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRANCISCUS LEONHARDT

BEROLINENSIS.

DIE V. M. FEBUARII A. MDCCCXX

H. L. Q. S.

BEROLINI. TYPIS TH. BRÜSCHCKE.

VIRO

ILLUSTRISSIMO DIGNISSIMO

CAR. FERD. GRAEFE

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, PROFESS. CHIRURG. IN UNIVERSITATE LITERARIA BEROL. P. O. REGI BOEUSS. A CONSIL. INTIMIS, NEC NON A CONSIL. RER. MEDICINAL. ET SANITAT. PUBLICAE TUENDAE. SUPREMIS ORDINIS CRUCIS FERREAE EQUITI, LEGIONIS HONOR. REGIS FRANKS-GALLIAE DECURIONI, ORDINIS RUSSICI ST. ANNAE IN CLASSE SECUNDA, SUECICI WASANI, RUSSICI ST WLADIMIRI IN CLASSE QUARTA EQUITI, INSITUTI REG. CHIRUR-OPHTHALM. CLINICI DIRECTORI, PROFESS. O. IN REG. INSITUT. MILIT. MEDICO-CHIRURG. FRIDEBICI GUILELMI, REC. SOCIETATIS FACULTATIS MEDICAE PARISINAE SODALI PER EPISTOLAS ORDINARIO, SOCIET. MED. AEMULOR. PARISINAE SOCIO PER EPISTOLAS EXTRANEO, SOCIET. CAESAREAE NATURAE CURIOSORUM MOSCOV., SOCIETATIS REG. SCIENTIARUM GOETTINGENSIS, SOCIET. PHYSICO-MEDICAE ERLANGENSIS, SOCIET. NATUR. SCRUTATORUM HALENSIS, ALIARUUMQUE SODALI.

MAXIMA QUA PAR EST REVERENTIA

PIAQUE MENTE

HASCE PAGELLAS OFFERT.

AUCTOR.

Introductio.

Quam methodi et machinae, quibus hucusque ad humerum luxatum reponendum usi sunt, parum omnino satisfaciant, vix magis quidquam arridere nobis opertebat quam caratlo a Mothio 1) inventa quippe quae auctore ipso teste, non solum iis in exemplis respondit, quae aliam curationem noudum erant experta, verum etiam auxilium, aliis rationtbus frustra petitum, praestitit, ceteroquin etiam usus ejus expeditissimus est, nec ullos aegrotis dolores, affert. His accedunt experimenta Celebb. Rust 2) et Bernstein 3) quibus virtutes hu-

1) Melanges de Chirurgie et Medicine. Paris 1812.

2) Magazin für die gesammte Heilkunde. Bd. 1. Stk. 10. S. 73.

3) Ueber Verrenkungen und Beinbrücke, 2te Ausgabe. 1819. S. 133.

jus methodi modo enumeratae, confirmantur.

Quamobrem maximopere exoptavi, ut occasio mihi contingeret istiusmodi exemplum observandi, quo quidem de veritate virtutum laudatarum mihi persuadere possem. In Clinico regio chirurgico-ophthalmiatrico, quod moderante Ill. GRAEFE floret, paulo post evenit ut duplex mihi offerretur casus, quorum alter luxationem recentem, alter inveteratam ostendebat. Attamen ex utroque non nimiam utilitatem e methodo Mothiana in artem chirurgicam redundare, apparuit.

Propositum quidem mihi fuit, ut hocce in opusculo methodum illam adumbrandam et examinandam, nec non utrumque exemplum supra propositum enarrandum desumerem, quo clarius autem haec materia illustretur, et luxationem humeri breviter exponere, et motbodos machinasque tam antiquioris quam recentioris aevi multifariam laudatas adhibitasque obiter attingerer liceat.

De luxatione ossis humeri.

§. 1.

Definitio.

Luxatio ossis humeri dimotio ejus est ex cavitate sua guenoidali, motum membri naturalem impediens et cum dolore, infiammatione aliisque difficultatibus saepenumero conjuncta.

§. 2.

Differentiae.

Discrepat haec luxatio

1. Ratione formae et modi prolobendi, ita ut vel completa sit, ubi os luxatum prorsus de sede sua motum est, vel incompleta ubi caput humeri ex parte tantum e sinu naturali processit; haec subluxatio dici consuevit.

2. Ratione symptomatum, ea aut simplex est' ubi symptomatis alienis non stipatur, aut complica-

ta, si fractura, contusio, vulnera, inflammatio rel. accedunt.

3. Ratione temporis aut recens aut inveterata est.

4. Ratione causarum vel spontanea audit, quae causis internis vel violenta, quae rebus externis est inducta.

5. Ratione loci in quem os prolapsum est. Decessio hujus ossis de sede sua primo semper deorsum fit, ubi tamen antrorsum et introrsum sub musculum pectoralem majorem vel retrorsum et extrorsum sub musculum infraspinatum, caput ejus prolabi potest, vel deorsum in ala remanet ac subsistit. Sursum fieri non potest luxatio, quia musculus deltoides, caput externum musculi bicipitis, apopaysis coracoides et acromion adversantur. Quod si vero hi processus frangerentur, luxatio sursum fieri posset.

§. 3.

Diagnosis.

Si antrorsum et introrsum sub musculum pectoralem majorem os excidit, caput brachii ibi sentitur, inque ejus cavitate sinus est, brachium aut longius aut brevius sano reperitur, prout in locum vel eminentiorem, vel profundiorem os secessit; deltoides musculus intenditur, cubitus a corporis latere distat et retrorsum vertitur.

Ubi retrorsum et extrorsum os luxatum est, caput ejus sub costa omoplatae deprehenditur, musculi pectoris extenti, cubitus antrorsum et a corpore

aliquanto retractum est, brachium nunc longius nunc brevius altero evadit, prout caput ossis vel altius vel profundius substitit.

Si vero deorsum caput secssit, idem in ala tangitur brachium luxatum, altero est longius, cubitus distat, quem, si ad corpus represseris, dolor augetur, si brachium paulo elevaris, remittit.

§. 4.

Causae.

Facile incidit haec luxatio, parvam ob cavitatem in qua brachium versatur, et propter motum liberiorem, quem haec junctura exhibet, quippe in qua rotundum humeri caput, non alio ligamento nisi capsulari, quod quidem indolis validioris est, tendineque musculi bicipitis longo, scapulae condylo inhaerente, retinetur.

Causae tum internae, tum externae sunt. Internis adnumerare convenit: ligamentum capsulare laxum, resolutionem musculorum membrum moventium, serum crassum et viscidum aliqua ex dyscrasia hac in junctura conflatum, ulcera, exostoses, tophos. Exempla quibus ex concremento materiae tartareae luxatio accidit, apud Forestum, 1) Schenkium 2) et Iunkerum 3) leguntur. Causis internis

---

1) Observat. chirurg. Libr. IX.

2) Diss. de luxatione in genere. Iena 1643.

3) Diss. de causis luxationum internis. Hal. 1761.

a quibusdam auctoribus disposio hereditaria adjungitur, si nempe ex mala uteri conformatione cavitas glenoidalis nimis plana redditur. Hujusmodi exempla, licet rariora, Purmannus 1) aliique memoriae prodiderunt.

Causae externae sunt: quaevis violentia, potissimum si quis a parte superiori decidit, ictus, percussio, distortio vehemens, extensio nimia rel. Haec cum impetu quodam agunt et facilius laxationem movet si corporis conditio favet.

Post luxationem complicatam, causis violentis inductam, ligamentum capsulare nunqum non rumpitur, quin adeo interdum ex toto divellitur, id quod a luxatione incompleta ac spontanea abest. 2)

§. 5.

Prognosis.

Os causis internis luxatum facili quidem negotio reponitur, at vero difficillime curatur, quum idem paulo post repositionem iterum excidat. Luxationis inveteratae deterior est prognosis quam recentis. Os ex parte luxatum, cavitatis margini inhaerescens promtius curatur, quam quod in totum secessit. Item luxatio simplex externis rebus coorta non adeo

---

1) Chirurgia curiosa. Breslau 1649.

2) Bell. Lehrbegriff der Wundarzneikunst aus dem Englischen. 3te Ausgabe. Bd. 4. P. 375. et Bonn Descriptio Thesauri ossium Hoviani.

difficulter reponitur, plus difficultatis subest ubi vulnus, fractura aut inflammatio ingens adjunguntur.

Resolutio membri luxati ex contusione nervorum ab ossis capite illata subinde observatur et difficiliorem curam saepius exhibet. 1)

Celsus 2) humerum ait antrorsum luxatum facilius reduci quam ubi in ala haeret caput. Id vero non ita se habet, expeditius fieri solet repositio si in alam delapsum est os, difficilius si sub musculo pectorali haeret, omnium tamen difficillima est curatio, ubi sub costa omoplatae caput ossis substitit. 3)

Os quod reponi non potest cum sede in qua resedit, tandem concrescit.

C u r a.

§. 6.

Generalia quaedam.

Repositio ossis luxati recentis quantum fieri potest mature instituenda est. Hippocrates 4) docuit ante tertium vel quartum luxationis diem os restitui debere; alias enim inflammatio et febris aegrum

1) Bernstein l. c. S. 116.

2) De medicina. Libr. VIII. Cap. XV. S. 545.

3) Bell. l. c. Bd. 4. S. 403.

4) De articalis.

exagitant, quae si accesserunt ante ossis reductionem discutiantur, necesse est. Quidquid autem loco suo motum est, ante inflammationem reponendum esse Celsus 1) monet. Recentiores in his antiquioribus ita assentiuntur, ut si ex vi forinsecus illata, exorta sit inflammatio, id ipsum affirment, sin autem ex vitio ossis dimoti vėnasque comprimentis originem duxerit, festinandum esse, ut os quam primum in locum unde lapsum est, restituatur, praecipiant. 2)

Os in sedem suam semper ita est redigendum uti excidit, id quod Galenus 3) recte monuit, et Richterus 4) aliique recentiores comprobarunt.

Repositio bene instituta sono quodam peculiari dignoscitur, qui, si caput ossis locum naturalem recuperat, percipitur, nec minus ex justa membri forma, longitudine ac doloris remissione.

§. 7.

Methodi diversae, quibus os humeri luxatum reponitur.

Multas variasque humerum luxatum restituendi rationes ab auctoribus proprositas video, eaeque vel

1) l. c. S. 543.

2) Platneri. Institutiones Chirurgiae rationalis. pars post. p. 598.

3) Comment. I. in Hippocrat. de articulis.

4) Chirurgische Bibliothek. B. X. p. 449.

solis manibus, modo simplicissimo (modo palaestrico antiquioribus nominato) vel machinis (id quod methodice vocabant) absolvuntur.

Hippocrates 1) ad reponendum humerum invenit machinam, quam ἀμβὴν Celsus 2) vero spathulam ligneam nuncupat; Germanis Wippe, Gallis Ambi audit. Forma ejus et ratio bene inspicitur ex iconibus ab Heistero 3) et Bellio 4) exhibitis.

Haecce machina ad nostrum usque tempus, quibusdam idonea videtur ad augendam vim extensionis et contraextensionis, auctoribus antiquioribus ut Celso 5), Galeno 6), Oribasio 7), Aetio 8) optima dicitur. Per longam annorum seriem, ad initium usque seculi XVI sola fere in usum vocata est. Ab eo autem inde tempore magis magisque est repudiata, et in ejus locum aliae rationes machinaeque a Braunschweigio, Andr. la Crocio, Ambrosio Paraeo, Sculteto rel. substitutae sunt. Inprimis vero a

---

1) l. c. Sect. IV. T. II. p. 760.

2) l. c. p. 544.

3) Chirurgie. Tab. X. Fig. 6.

4) l. c. Bd. 4. Tab. V. Fig. 1.

5) l. c. p. 544.

6) l. c.

7) Liber de machinamentis.

8) Tetrab. IV. S. II. c. 71.

Junkero 1) Heistero 2) Plattnero 3) et prae ceteris a Petito 4) machina illa ut inutilis est rejecta, quippe qua tantum abest ut humerus satis extendatur atque ejus ad collum scapulae magna vi impellatur. Utilitatem ejus vindicarunt Nicolaus Andry 5) Hunaulti 6) aliique a quorum opinione recentiores, rationibus supra comprehensis, abhorrent.

§. 8.

Tum incommoda hujus machinae ratio, tum abusus ejus in omnibus fere casibus haud quidem viros supra nominatos saeculi decimi sexti latuerunt, nihilominus tamen curationes ad reponendum humerum ab iis propositae parum aptiores fuere. Earum aliqua sic se habet: Aeger supinus collacatur ejusque alae pila, lana aliave res mollior subjicitur, chirurgus illi adversus assidet, manuque sua brachium hominis apprehendit, idemque, pedis calce hu-

---

1) Conspectus Chirurgiae p. 493.

2) l. c. p. 213.

3) l. c. pars post. p. 630.

4) Traité des maladies des os. Tome I. p. 178.

5) In Quaestiona medica chirurgica: An in humeri luxatione Ambe potius, quam scala, janua, polysnastusque iterata renovato? Parisiis MDCCXXXII. proposita.

6) Scriptum contra Petitum. p. 290.

merum elapsum sub ala cogens, intendit. Alia est ratio quae scalae aut januae ope perficitur, nec non alia, qua humerus loco suo motus super longurium seu perticam trajicitur, quem minister, viris duobus longurium attollentibus, attrahit et in sedem suam repellit. Quidam humerum super scapulam hominis robusti ac proceri in genua procumbentis, dant, qui eo comprehenso, dum sese erigit, membrum intendit humerumque cogit.

Fusius de his PARRAUS 1) et LEMERYS 2) exposuerunt.

§. 9.

Prava harum curationum ratio ex eo patet, quod partim membrum non perinde, ac par est, intenditur et ratio loci, in quo caput ossis praeter naturam subsistit, non habetur; partim glandulae, nervi, vasa sanguifera, quibus in ala sedes est, laeduntur et inflammatio cietur.

Incommodus harum rationum usus tandem apparuit virique saeculi superioris solis fere manibus confidentes, si luxatio recens erat, respectu loci, in quem caput ossis exciderat, extensione et contraextensione idonea totum opus absolvere coeperunt, iis tantum exemplis, ubi manus non sufficiebant, deligationibus machinisque variis ad extensionem et contraextensionem abhibititis.

---

1) Oeuvres Liv. XV.

(2 Bein-Arzt p. 112.

§. 10.

Methodus haec simplex, tum temporis inventa ad nostrum usque aevum quibusdam in melius mutatis est servata, imo magis magisque machinarum usus abolescit. Singuli quidem chirurgi in singulis aliquantisper deflectunt, in re ipsa, omnium rationes consentiunt.

Propterea methodum a chirurgis praestantioribus hucusque adhibitam adumbrabo, dein machinas quasdam ad operationem difficiliorem idoneas, breviter recensebo.

§: 11.

Haecce methodus simplex extensione, contraextensione, repositione et retentione perficitur, ministris aliquot auxilium praestantibus. Prout os vel extrorsum vel introrsum vel sub alam prolapsum est, extensio ipsa aut antrorsum aut retrorsum nec minus deorsum ab initio fieri debet, ut minus obstaculorum repositioni obsit, id quod ex ratione facile colligitur.

Aegroto in sella collocato, contraextensio a ministro robusto ita perficitur, ut manibus suis claviculam et scapulam abducat simulque aegrum retineat, ne extensioni cedat.

Quod si minister unus huic operi non par est, altero opus est, qui lintei latioris ope sub alam luxatam injecti et ad latus sanum convoluti, hominem retineat. Pressio musculorum lateris infirmi, ne ex linteo fiat, mollia quaedam supponuntur. Mini-

strorum alius brachium luxatum supra cubitum prehendit, primoque paulatim, ut supra positum est, deinde intentis viribus extensionem praestat. Augetur extensio laquei ope supra cubitum injecti et per alium ministrum adducti. Chirurgus ipse ad latus adstans manu altera superne prehendit humerum, quem si satis extensum spatiumque inter ossa liberum animadvertit, altera manu humerum sublevat, dirigit et in sedem suam compellit.

Res fere melius agitur, si chirurgus linteo in formam trianguli redacto, quod et ipsius cervicem humerumque emotum haud procul ab axilla comprehendit, id membrum attollit, et utraque manu dirigit.

Humerus repositus quiete et spica adscendente loco suo retinetur, antibrachium mitella excipitur. Elapso autem die octavo rotationes humeri repulsi leviores sunt tentandae ut anchylosis caveatur et ligamentorum contractio juvetur, quod recte jam Hippocratem 1) monuisse constat.

Post hebdomadam quintam vel sextam motus membri in integrum restitutus esse solet.

§. 12.

Haec methodus simplex non semper respondet, maxime si luxationes inveteratae sunt quo in casu machinis uti licet.

---

1) l. c.

Hae quidem diversi generis sunt, aliae solum contraextensionem, aliae extensioem, aliae utrumque simul praestant. Quarum aliquot majori usu probatas me indicaturum esse, supra sum pollicitus.

Ad perficiendam contraextensionem faciunt Lorum Eckoldtii 1), Annulus Pitschelii 2), Zona Schneideri 3).

Ad extensionem, si minus sufficit Laqueus aut Lorum Hildani 4), commodior est et efficacior Polyspastus 5).

Ad extensionem et contraextensionem simul praestandas praeter Amben Hippocratis supra commemoratam, quibusdam adhuc usitatam et emendatam, machina laudatur a Petito 6) ex Ambe sive spatha et polyspasto composita, cujus quidem artificiosa est constructio, at vero multis 7) incommoda videtur.

---

1) Köhler's Anleitung zum Verbande. Leipz. 1796. p. 299. Tab. VIII. Fig. 8 u. 9.

2) Anat. u. chirurg. Anmerk. Dresd. 1784. p. 66.

3) Loder's Journal für die Chirurgie etc. Bd. III. Stk. 3. p. 466.

4) Bernstein's Lehre des chirurg. Verbandes. p. 225.

5) Bell. l. c. Bd. 4. Tab. V. Fig. 5.

6) l. c. p. 198.

7) Citati Autores, qui contra Petitum scripserunt.

Porro machina a PURMANNO 1) inventa et ab HUSSEMIO emendata, aliaeque a FRERIO, RAVATONIO etc. propositae. Magis idonea MENNELII 2) machina a SCHNEIDERO emendata judicatur.

Prolixius de his aliisque instrumentis in libris laudatis est expositum, quorum adumbratio accuratior a proposito meo abhorret.

§. 13.

Priusquam MOTHII methodum adgrediar, de curationibus quibusdam nuper evulgatis quaedam monenda sunt. Prima a WHITIO adhibita haec est: Aegrotus in terra collocatur, manus infirmi membri funibusc omprehenditur et per rotas conclavis lacunari injunctas sursum attollitur, quo facto os a chirurgo facile in sedem suam compellitur.

Quae quidem methodus nonnunquam ex usu fuit, ubi aliae eventu destituebantur, attamen subita ejus vi exitus infaustus facile incidit.

Quod ad aliam methodum a SAUTERO 1) laudatam attinet, solis manibus ita peragitur, ut membrum prolapsum a ministro deorsum distendatur; membro autem vel extrorsum vel introrsum moto, ex-

1) l. c. p. 649.

2) LODER's Journal etc. Bd. III. Stk. 2. p. 298. Tab. VI u. VII.

3) Ueber die Einrichtung des verrenkten Achselgelenks in HUFELAND's Journal. Bd. XLIII. Stk. I. Jul. 1813. p. 39.

tensio simul ab initio in partem diversam fiat, necesse est. Os prout in varium locum secessit, a chirurgo dirigitur, dein facile reponitur. Totius rei cardinem in eo verti dicit, ut membrum deorsum extendatur.

Haec ratio omnino simplex nonnunquam si recens luxatio, corpus molle, musculi laxi sunt auxilium suppeditare potest, at si vastius corpus, musculi rigidi luxatioque inveterata est, repositionem fieri dubito.

Nonnulli ante ossis reductionem praeparantia varia, quibus adhibitis facilius illa succedat, v. c. venaesectiones, balnea, emetica 1), Opium 2), imo sanguinis missiones ad animi deliquium 3) commendaverunt.

Haec omnia ad relaxandos musculos in vastiori corpore tensos et discutiendam inflammationem interdum prosunt ipsamque reductionem juvare possunt, sed ubique non indicata sunt, quum interdum noxa ex iis redundet.

§. 14.

Methodus Mothiana.

Recensitis variis humerum luxatum reponendi rationibus, ad eam methodum transibo, cujus expo-

1) Loder's med. chirurg. Beobacht. Bd. I. p. 170.

2) Majocchi in Brugnatelli Bibliotica Fisica. T. XVIII.

3) Mease in Jones chirurgical Works etc.

sitio in hocce opusculo proprie mihi proposita est.

Jam in prolegomenis commonefeci, eam facili negotio brevique temporis spatio a chirurgo posse absolvi, nec aegroto dolores inferre. Haec methodus ab auctore suo 1) ita perficiebatur:

Aegrotus in sella ponitur, linteum quam arctissime complicatum super axillam ejus infirmam sic injicitur ut summam tantum scapulam comprehendat. Hujus habenae ope contraextensio a ministris aliquot in terra sedentibus fit, aliaque fascia corpus ambiente per alterum ministrum aegrotus a latere sano retinetur, ne si fit extensio, cedat. Ad latus aegri affectum sella stabilis collocatur, quam chirurgus adscendit et humerum juxta cubitum utraque manu prehendit, deinde primum leniter intendit et attrahit, quo facto eum ad latus in sublime erigit usque dum statum perpendicularem nactus est. Tum quam maximis viribus in eas partis eum extendit, et ita caput ossis in sedem suam facile redigit.

Quae operatio ab inventore suo 2) sine ministri auxilio absolvebatur. Aegrotum in lecto deposuit, ea cautione adhibita, ut brachium luxatum juxta marginem lectuli esset collocatum, quo liberius posset moveri, quibus factis brachium apprehendit, eodemque artificio, quod ante descriptum est, situm perpendicularem ei indidit et haec omnia ad lectuli marginem, post caput aegroti assidens perfecit. Bra-

1) l. c. p. 208.

2) l. c. p. 212.

chio in hunc situm redacto, calce sinistra ad humerum laborantem apposita, contraextensionem manibus vero ad carpum admotis, extensionem fecit, eoque modo totum opus se expedisse, contendit.

§. 15.

Hanc curationem a Cell. Rustio et Bernsteinio facile atque feliciter institutam, magnisque laudibus esse elatam in introductione jam commonefeci. Quorum hic 1) in repositione ipsa quaedam mutavit, quae eam non solum faciliorem, verum etiam simpliciorem reddere videntur. Ad instituendam scilicet contraextensionem habenam linteam rejecit, ministro tantum usus valentiori, qui ad latus sanum aegroti adstitit et utraque manu summam humerum prehendit; et sic quidem operationem absolvit.

§. 16.

Quodsi methodum, qua Mothius humerum luxatum reponere solebat, paulo accuratius consideraveris, vix aliam quamvis concipere licet, quae majori simplicitate polleat; idquod in rebus chirurgicis summi est momenti, eique methodo quamplurimum dignitatis adjicit. Quis enim est chirurgus, quem laetitia affici non oporteat, si Ambas, Zonas, Polysyastos, et quidquid instrumentorum ad hanc operationem requiri solet, supervacua videt, et tamen auxilium

---

1) l. c. p. 133.

praestari posse intelligit, si supellex chirurgicus ad manum non est. Nec parum pretii huic curationi ex eo redundat, quod omnibus doloribus vacat, quum alii methodi longissima saepe et vehementissima tormenta aegrotis exhibeant, priusquam repositio contingit. Etenim in exemplis a Mothio descriptis et Cell. Rustii et Bernsteinii auctoritate confirmatis, reductio absque ullo doloris sensu cessit et eo ipso reactionem leviorem musculorum atque ligamentorum articulum ambientium effecit, quam methodi machinaeque ceterae efficere consueverant incommodaque haud exigua saepenumero excitabant.

Quae si comprehenderis, simplicitatem, dolorum libertatem, effectus prosperrimos ac splendidissimos a Mothio, Rustio et Bernsteinio collaudatos, nonne credere fss est, methodum hancce omnibus in casibus idoneam, omnia machinarum tormenta supervacua et in hac unica curatione tum salutari, tum doloris experte, opem esse quaerendam? Proh dolor autem experimentis in Clinico chirurgico Ill. Graefe bis institutis et in introductione obiter commemoratis, compertum habeo; hanc etiam curandi methodum quam maxime celebratam virtutibusque multis ac magis conspicuam, non semper auxilium suppeditare, et praesertim iis in casibus nos destituere, ubi reliquae methodi effectu carent, quum his ipsis in exemplis usus ejus maximae nobis saluti foret.

Antequam de alieno hujus methodi effectu in casu utroque exponam, et judicium aliquod de ejus indole feram, commodissimum arbitror adumbrationem accuratiorem utriusque exempli praemitti.

Exemplum primum.

Viro mercenario urbis hujus, duorum quadraginta annorum, corporis firmi ac robusti a. d. III. cal Decembris anni superioris matutine tempore accidit, ut per scalam ab arbore delapsus luxationem humeri dextri pateretur. Protinus cautum est ut Instituto clincco in curam traderetur. Facta exploratione facili negotio luxationis modus apparuit; caput humeri manifesto sub musculi pectorali magno cernebatur ac sentiebatur, ubi insignem tumorem inflammatorium exhibuit; brachium affectum per totam longitudinem valde tumuerat.

Quum tumor inflammatorius impediret, quo minus repositio protinus tentaretur, detractiones sanguinis locales per hirudines, antea institutae sunt.

Symptomatis inflammationis diminutis, circa horam secundam pomeridianam duce Ill. Graefe Instituti illius Directore praesentibus auditoribus repositio membri luxati tentata est. Methodus Mothiana multo cum studio commendata, quum paucissimis spectantium per propriam experientiam innotuisset ac Directori ipsi bis jam bene cessisset, in usum est vocata.

Aegrotus in sella est collocatus, contraextensio a ministro valido ad latus integrum adstante utraque manu eodem modo efficiebatur, qua a Cel. Bernsteinio 1) facta est. Linteo lato circum corpus aegroti

---

1) l. c. p. 133.

dato et per uncum firmum trajecto, qui parieti sano lateri proximo injunctus erat, cautum est, ne aegrotus inter experimentum cederet. Sellam alteram, juxta et post latus aegroti affectum positam, minister secundus, haud minus validus, conscendit, qui extensionem et agitationem membri ad praecepta Mothii exactitsime perficiebat, ita ut brachium utraque manu supra cubitum comprehensum ab initio leniter abduceret et ad latus reflecteret, deinde aucta sensim extensione et retractione in situm perpendicularem corporis redigeret. Quum propter structuram aegroti musculosam musculosque valdopere intentos reactionem eorum valentissimam suspicari liceret, Director Ill. ad latus affectum constitit; ut si caput ossis ad cavitatem suam vergeret, pressione ejus in hanc partem successum certum et felicem sortiretur. Sed frustra. Inter operationem scilicet caput ossis locum praeternaturalem relinquere et ad cavitatem suam vergere observebatur, sed eo ipso momento, quo introitus ejus per marginem cartilagineum cavitati huic circumdatum exspectabatur, recessit et periculum irritum fuit. Aegrotus quidem vel exignos vel nullos dolores est conquestus, quapropter quum paululum quievissset operatio denuo tentata est, cujus effectus non minus quam prioris spem elusit. Eadem experimenti tertii ratio fuit. Quae cum ita essent, Ill. Graefe ab aliis hujusmodi periculis abstinuit et ad machinam Mennelianam confugit, quae vero haud majorem quam methodus Mothiana utilitatem praestitit.

Ne quid autem intentatum relinqueretur, Ill. Graefe ad methodum Mothianam reversus est, ea

interposita differentia, ut membrum luxatum aliquoties antea rotaret, tum aegrotum in lectum humiliorem recumbere juberet et observationem Mothio ipsi usitatam adhiberet ut latus aegri infirmum juxta manginem lectuli ei proximum poneretur, qui liberetur, quo liberius spatium brachium movendo contingeret. Ab integro latere per ministrum ibi collocatum non aliter ac in superioribus experimentis fieri solebat contraextensio humeri aegrotantis facta est, eo discrimine ut per eundem ministrum solum retentio aegri simul praestaretur. Extensio et agitatatio membri ad statum corporis perpendicularem ab ipso Magistro Ill. juxta caput aegroti in subsellio residente eodem modo, quo supra dictum est, perficiebatur. Sed eheu! haec etiam modificatio curationis Mothianae spem fefellit.

Corporis relaxatio ex hisce experimentis multifariis aegroto inducta vetuit, ne alia pericula hoc die fierent. Ad solvendum tumorem inflammatorium experimentis adauctum protinus, iis finitis, venaesectio et detractio sanguinis topica ex parte laborante per hirudines est instituta, aegrotusque postero quoque die quieti commissus est. Tertio die circa tempus praelectionum habendarum, novum periculum ad reponendum humerum factum est, balneo ante ad relaxandos partis infirmae musculos circa brachium applicato. Membro infirmo aliquoties rotato iterum methodus Mothiana duce Ill. Graefe tentata est sic ut aegrotus inter eam assideret, sed spes in irritum cecidit. Iam nihil supererat, quam ut ad polyspastos confugeretur, qui adhibiti, aeque nihil pro

fecerunt. Novissimum tandem institutum est periculum, idemque per methodum Mothianam, quo iterum irrito, quum vix quidquam aegrotum liberare videtur, hic sibi ipsi committeretur, necesse fuit.

Exemplum secundnm.

Ante diem XVI. cal. Febuarii hujus anni ad Institum supra commemoratum mulier quinquaginta annorum et quod excurrit, debilis atque confecta venit, cujus brachium ante tres hebdomadas lapsu aliquo adverso deorsum exciderat. Aegrota in sella collocata, methodos Mothiana duce Ill. Graefe a duobus chirurgiae cultoribus, quorum alter membrum dirigebat, alter contraextensionem faciebat, est applicata, doloribus quidem evitatis, sed humero non redintegrato.

Quum aegrota his contentionibus esset exhausta, et praeterea senectute et debilitate premeretur, aliis experimentis, quibus salus contingere potuisset, in totum abstinebatur, ne incommoda majora vel universalia, vel localia inducerentur. Sors quidem mulieris eo paulum toterabilior reddebatur, quod os deorsum exciderat, sub qua luxatione aliquis membri motus remanere solet.

§. 17.

Recensitis hisce exemplis quaestio obtruditur, quaenam impedierint, quo minus curatio Mothiana responderet? Ex sequentibus unum alterumve accusandum esse judico, aut methodum ipsam, aut

proprietatem exemplorum singulorum vel denique curantis agendi rationem.

Quod ad methodum ipsam pertinet, nonnulla ejus incommoda reperire licet, quae quo minus satisfaciat, impedire possunt, de quibus, quum vanitas eorum experientiae testimoniis non sit confirmata, exponere mihi liceat.

Chirurgos antiquiores, ut supra comprehensum est, recte monuisse puto, extensionem membri ab initio semper in eam partem, quae capitis ossi adversa est, fieri debere. Si v. c. caput antrorsum promineat extensionem inter initia retrorsum et vice versa si retrorsum elapsum sit, antrorsum esse faciendam, quoniam hac ratione repositio ejus paucissimis obstaculis stipatur.

Iam vero quam in partem caput ossis promineat ratio Mothiana non considerat, quippe quae omnibus iu casibus, natura sua diversissimis, eandem operationem docet. Eadem causa vituperii justi fuit, quo chirurgi recentiores iique peritiores, 1) methodos antiquitus in usum vocatas v. c. scalam, januam, scapulam hominis robusti et Whitii curationem detractabant, idem fons, ex quo eventus infautus machinarum plurimarum usu profluxit. Nonne hoc vituperium quadantenus in methodum Mothianam conferre licet, quippe quae, ab hac parte, supra nominatis par habenda est?

---

1) Bell. l. c. p. 410.

Num commodum illud, quod methodus simplex hucusque usitata praestitit, utpote quae desiderio illi satisfaceret ideoque a viris praestantissimis commendaretur, nec non usus ejus divulgaretur, haud amplius considerandum veniat?

Haec potissimum, curationi illi objicienda, causam effectus minus posperi quibusdam in casibus, continere mihi videntur.

Quodsi porro proprietatem utriusque exempli supra recensiti consideramus, in priori quidem impedimentum aliquod mechanicum fuisse videtur, quod reditum capitis in cavum suum impediebat. An vero obstaculo fuerit ligamentum capsulare disruptum, an caput longum musculi bicipitis ab insertione sua ad condylum scapulae sejunctum, an fractura marginis cartilaginei cavitatis glenoidalis, id quod ex rebus tam violentis facili evenire potuit, difficulter dirimere licet. Ligamentum capsulare disruptum per se impedimentum praebere non potuit, quo scilicet in casu repositio membri temporis momento contigisset.

In exemplo secundo quod quidem per plures hebdomadas jam obtinuit et in corpore mulieris senectute, debilitate et macie confectae, non graviori violentia acciderat, vix impedimenta primitus inducta in ipso articulo suspicari licet et quoad adhaesionem capitis ossis cum partibus vicinis in loco praeternaturali tali in corpore et tam brevi tempore evenire non posse judico.

Etiamsi concesserim priori in exemplo impedimentum adfuisse, quod successum rationis Mothia-

NAE reddiderit irritum, minime tamen in secundo idem fuisse largiri possum! sed, ut fuerit, minime tamen utrumque exemplum praestantissimam hujus methodi virtutem, quam inventor ei adscribit, testatur; auxilium ab ea expectari posse asserens, si reliquae curationes effectu destituantur.

Quod ad ea pertinet, quae tertio loco posui, curantem ipsum, prava agendi ratione impedimenta suppeditare posse, quo minus haec methodus satisfaciat, monuisse satis est, Virum Illustrissimum et Experientissimum GRAEFE in exemplis a me propositis partim ipsum operationem absolvisse, partim iis ducem exstitisse, qui eam perficiebant. Quae si quis cognoverit, facile largietur, eveutum sine curantis culpa non respondisse.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego Albertus Franciscus Leonhardt, anno MDCC XCIV die IV mensis Decembris Berolini natus in domo paterna educatus iisque literis, quibus tenera aetas imbui solet, institutus sum. Deinde Gymna-

sium Berolinense, quod adhuc floret, frequentavi. Anno MDCCCX in institutum militare medico-chirurgicum, quod Friderici Guilelmi nomine insignitur, sum receptus et praelectionibus hisce interfui:

Beat. Kiesewetter de Mathesi et Logice, Cel. Turte de Chemia experimentali et Physice, Beat. Wildenow de Botanice, Cel. Lichtenstein de Zoologia, Ill. Knape de osteologie et splanchnologia, Ill. Rudolphi de anatomia universa, Ill. Horn de pathologia et therapia, Clar. Mursina de faciis rite applicandis.

Bello MDCCCXII anno cum Russis coorto, chirurgi munus in me recepi, eoque per quadriennium in nosocomio castrensi primo excercitus nostri, functus cum.

Pace cum Franco-Gallis reconciliata, mense Aprili MDCCCXVI dimissionem petii, qua impetrata Berolinum profectus sum et mense Octobri ejusdem anni civibus academicis universitatis literariae adscriptus sum.

Per hoc intervallum institutiones Virorum Ill. Celeberrimorumque frequentavi: Cel. Link circa Botanicen, Cel. Turte circa chemiam, Ill. Knape circa osteologiam, splanchnologiam, syndesmologiam. In methodologia, anatomia tam universa, quam organorum sensuum Ill. Rudolphi praeceptore usus sum. Arte cadavera dissecandi in theatro anatomico iidem Viri Ill. Knape et Rudolphi me instituerunt, Physiologiam Ill. Rudolphi et Cel. Osann me docuerunt. Pathologiam generalem, semioticen, therapiam generalem Cel. Fr. Hufeland mihi tradidit, in pharmacia autem, toxicologia, materia medica Viris Cell. Turte, Link et Osann

duces praestantissimos secutus sum. Deinde institutionibus medicinae practicae Ill. Chr. Guil. Hufeland interfui, nec minus Cel. Fr. Hufeland de therapia morborum speciali et Ill. Horn de pathologia et therapia speciali deque cognoscendis et curandis morbis syphiliticis disserentes andivi. Ophthalmiatricam, doctrinam de morbis ossium dynamicis ac chirurgiam generalem ab Ill. Graefe accepi. Fascias applicandi modos Clar. Mursinna mihi demonstravit, apud quem et cursum operationum chirurgicarum absolvi. Denique doctrina de luxationibus et fracturis, in arte obstetricia tam theoretica quam practica Clar. Kluge et Ill, de Siebold me instituerunt, quum et interpretationibus librorum Celsi Ill. Berends ea, qua par est diligentia interessem. Hoc vero peracte studiorum cursu Institutiones clinicas Virorum Ill. Berends, Graefe, de Siebald et Horn qua potui assiduitate frequentavi, Mense Aprili a. MDCCCXVIII. cursum anatomico-chirurgicum rite absolvi.

Iam tentamine et examine rigoroso feliciter superatis spero fore, ut summi in utraque medicina honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I. Catarrhus ex sudoris suppressione non oritur.

II. Syphilis nunquam ex gonnorrhoea oriri potes.

III. Dispositio ad erysipelas periodicum operationes multas chirurgicas contraindicat.

IV. Non in quaecunque inflammatione venesectio instituenda.